

Primo quia ad te uado uenia. **Just** **H**ec uia  
**in** dno dno in dno fido. **U**bi emant  
**D**ne in uirtute. **D**ni est te. **E**xaltatio  
**H**ec uia te dne. **E**xaltatio dne iure. **R**espo.

Et passione suam qd dies quadraginta apparet

Handwritten musical notation (neumes) on red lines, including a large initial 'P' and various rhythmic markings.



ΣΤΝ ΘΕΩ.

DISSERTATIO  
INAUGURALIS

2<sup>V</sup>A

DE CONSTITVENDO  
GYMNASIO

IN INCLITAE LIBERA-IMP. REPUBLICA  
MULHUSINA

Mentem suam,

ὡς ἐν τῷ πῶ

*Sub ipso ad RECTURAM introductionis actu,*

*Publicè*

*Proponebat*

*Et Magnifici Prudentissimiq; SENATUS*

*Judicio officiosè*

*Submittebat*

M. GEORG. ANDREAS FABRICIUS,  
POETA L. CAESAREUS.

*Prid. Non. Septembr. An. ∞ IJC XXVI.*

*Nunc v. Prædicti SENATUS Ampliff. jussu  
& sumptu in lucem edita.*



MULHUSII Litteris STANGIANIS.

MAGNIFICIS,  
AMPLISS. CONSULTISS. CLARISS.  
PRUDENTISSIMIS VIRIS,  
DN. CONSULIBUS, SYNDICO,  
ET UNIVERSO ORDINI SENATO-  
RIO REIPUBL. LIB. IMPER.  
MULHUSINÆ,

SALUTEM OFFICIOSAM!

**T**Extam à me telam nuper, PRÆCLARE SENATUS,  
ad prima impositi muneris orsa mei;  
quamvis sit tenui filo linoq; parata:  
ad vestrum confert se tamen illa forum.  
Displiceat non hæc vobis, quæ flore Lyceum  
induit, aut saltem flore vigere cupit.  
Quæ peplo velut intextam monstrare juventam,  
atq; artem in serâ posteritate cupit.  
Hanc, benè quis dixit, talem quondam esse futuram  
in scholico qualis confereretur agro.  
Hoc ego dum monstro exiguâ, pro more, tabellâ,  
quis neget Aonio me bene velle gregi?  
Ergò quòd hæc etiam pagellas explico, quodq;  
in vestrum expono tenuia texta sinum,  
quis culpet? quanquam si culpet, Vester honestâ  
pugnabit potiùs pro ratione Favor.  
Fiat! Propositi felix intentio nostri  
succedat! crescant publica flore novo!

V. M. & A. &c. reverenter & off. colens  
M. Georg. Andr. Fabricius P.L.C. Gymn.



CLARISSIMO VIRO,  
DN. M. GEORG. ANDREÆ FABRICIO,  
P. L. CÆS. GYMNASIARCHÆ  
MULHUSINO,

COMPATRI LECTISSIMO  
S.

CLARE VIR, ad prælu dum carmina nostra requiris,  
Incomtis equidem paucula mitto modis.  
Consule, queso, boni, nec nostram sperne Thalam.,  
Publica quam semper sollicitudo premit.  
Salve, vive, vale; quo te trahit ardua virtus,  
Perge, nec à captâ dimoveare viâ.

---

STUDIOSÆ JUVENTUTI.

QVO Schola nostra VIRO nunc exornata resurgat,  
Et qui Doctrinæ sanior inde modus;  
FABRICII Testis nova DISSERTATIO magni  
Nec non THESAURI copia dives erit;  
Quæ claris adamata Viris, Studiosa Juventus,  
Suscipe, & immensi muneris instar habe.  
Vivat FABRICIUS, vigeat SCHOLA, PUBLICA crescât  
COMMODA, dum liquidas volvet Onester aquas.

GEORGIUS-ANDREAS BEATUS,  
Reipubl. Imperial. Mülhus. S.  
& p. t. à SECRETIS.

Σὺν Θεῷ ἁγ. πῶ.

# DISSERTATIO INAUGURALIS.



QUOD IPSUM IN NOMINE  
Sacrosanctæ & individuæ TRI-  
NITATIS DEI PATRIS, FI-  
LII & SPIRITUS SANCTI  
fiat, Magnifici, Amplissimi, Reve-  
rendi, Consultissimi, Clarissimi,  
Prudentissimi, Præstantissimi, Do-  
ctissimi VIRI, & Tu Studiosa Juventus lectissima,  
quod, inquam, ipsum, in nomine Sacrosanctæ & indi-  
viduæ TRINITATIS, DEI PATRIS, FILII  
& SPIRITUS SANCTI fiat, Cathedram con-  
scendo scholasticam hanc, quam ante quatuordecim  
annos conscendere, vestrum, Patres MÜLHUSINI,  
& votum & voluntas erat: sed DEI, sapientissimi o-  
mnium Directoris, tempore quidem isto nondum.  
Cum enim Oldenburgi Frisiorum, Recturam Scholæ  
geßsem, scholamq; ipsam jacentē & humilē, ope divinā,  
& per illustres generosissimiq; Domini COMITIS  
munificentiam, ad mediocrem sed & meliorem statum  
perduxissem, & jam triennium, hanc sive ferram sive  
restim

restim traxissem, ecce duo adhuc videbantur esse loca,  
quibus caelestis ille & supremus Gymnasiarcha me praefectum volebat. Alter locus erat GOTTINGA,  
Brunsvigo-transylvaniae Metropolis; alter verò, Libera  
haec Imperialis civitas, MULHUSIUM. Utrique certe  
destinabar: sed omnino hoc cum divina providentia  
regimine & discrimine, ut illa operam meam prior ex-  
periretur, tum quòd priores patria (ut quidem illa urbs  
educatione mihi patria est) deberentur partes, tum  
quòd fas esset, eam primum fructum repetere studiorum  
illorum, quorum ipsa primum & ferè unicum funda-  
mentum exstiterat: Sed ita tamen ut deinceps haec Im-  
perialis civitas libera, operam eadem & ipsa tandem ute-  
retur. Licet ergò utraq, uno & eodem tempore me re-  
quireret; tamen cum divinitus ista sic jam ordinata es-  
sent, Gottingensium vocatio Mulhusinorum vocationem  
triduo antè præcedere debuit. Benè omnino nec incom-  
modè factum! Nam sic & Gottingensi Pedagogyo  
& huic item Scholæ divinitus prospectum fuit. In illo  
enim per integros quatuordecim annos vixi, & per di-  
vinam gratiam præstiti, quæ hîc prædicare & publicè de-  
cantare, per modestiam, non licet. Unum autem seriò  
triumpho & meritò mihi gratulor, id effectum esse, meam  
qualicunq, operam, sed omnino præeunte divino auxilio,  
quòd in omnem statum atq, ordinem, ex hoc Pedagogyo præ-  
cesserint, qui DEO, in Republicâ Christianâ & littera-  
riâ, multum hætenus inservierint, atq, etiam nunc in-  
serviant. Exempla non accersam ex peregrinis, quam-

vis possem plurima. Sunt ni fallor, imò sunt planissimè,  
in hac ipsâ Republicâ, qui me veterem præceptorem  
agnoscunt & libenter salutant, suamq; operam aut Ec-  
clesiæ, aut Reipublicæ, aut Scholæ navant eximiam; aut  
certè sic sunt animati, sic etiam parati & preparati,  
ut magno cum fructu navare deinceps & velint & pos-  
sint. Neq; tamen, inquam, dum isthæc ago, minus pro-  
spectum fuit huic Reipublicæ inclita. Nam & ipsa vi-  
ros intereâ habuit, quorum nec panitere nec pudere un-  
quam potuit. Habuit enim Christianum illum Bec-  
mannum Bornensem, Philologum & Philosophum  
præclarissimum. Habuit & Clarissimum Virum,  
M. Andream Hampisch, utrumq; certè Rectorem fi-  
delem, & de Scholâ hac meritissimum. Quanta enim  
utriusq; viri eruditio, quanta diligentia & in docendo  
dexteritas fuerit, non est quòd ab alijs petam. Videre  
est in scriptis, imò in vivis exemplaribus, de quibus, si  
opus sit, pluribus testari possum. Hoc autem postremo,  
Reipubl. huic, divinâ voluntate erepto, tempus tandem  
& illud advénit, quo ego per voluntatem ac dispositio-  
nem Omnipotentis DEI, meas quoq; partes hoc loco obire  
& amplissimæ huic & celeberrimæ Reipublicæ inservire  
debui. Scitote igitur, Patres Müllhusini, (liceat ad  
vos loqui ex Psalmo quarto) scitote inquam, quoniam  
mirificavit Dominus sanctum suum. Certè miri-  
ficavit, & me sic separavit, sic destinavit huic Reipubl.  
ut post hæc, post illa, meam tandem operam & industri-  
am ipsi locare debuerim. Faciam promptissimè,  
mi

mi J E s u, mi Domine, mi Salvator. Et jam tibi  
piissime Redemptor gratias ago, quantas mens  
mea capere, lingua efferre potest, quòd me ser-  
vum tuum hæctenus mirabiliter duxeris, & huc-  
usq; conservaris, in obsidione patriæ urbis peri-  
culosissimâ, in pestilitate cõtagiosissimâ, sub cruce  
domesticâ gravissimâ, in annonæ difficultate per-  
niciosissimâ, in fatore cadaverum beluinorum  
pestilentissimo, in publicis malis, in itinere diffi-  
cilimo & periculosissimo, quòd bonos excitaris  
viros, imò angelos, qui velut ex incendio me eri-  
perent & ex corruente & conflagrante velut So-  
domo in locum tutiorem me abducerent & quasi  
manibus deportarent. Magna tua, D O M I N E,  
est bonitas, ingens & ineffabilis misericordia &  
gratia! Fac, mi D O M I N E, ut quæ vocatio à te ve-  
nit ad hunc locum, cedat ad nominis tui gloriam,  
totius Reipubl. commodum, Scholæ incremen-  
tum, meam & meorum salutem! Confirma me  
& meos Spiritu principali tuo, ut ne respiciamus  
ad possessiones nostras, ad amicos, ad charissimâ  
urbem, quæ nempe commodissimum hospitium  
per multos annos nobis præbuit, & ubi benedi-  
ctionem in omni angulo largissimam deprehen-  
dimus. Benè sit illi! Et pax denuò ingrediatur  
muros ipsius! Sed, inquam, ne respiciamus & cū  
Lothi illius conjuge in salis statuam converta-  
mur, hoc est, cogitationibus in pristinâ felicitate  
& commoditate defixis obbrutescamus, & sic o-  
pera



pera vocationis agrè aut cum tædio faciamus. absit! ô absit! Des tu potius mihi, mi J E S U, in studijs meis alacritatem, in docendi munere dexteritatem, in cœteris difficultatibus & oneribus animi magnitudinem, constantiam, patientiam, tolerantiam, ut Christianæ & huic litterariæ Reipubl. cum fructu inserviam. Fac, ut schola à te mihi commissa quotidie incrementum capiat, & ut in eâ juvenus indies magis atq; magis proficiat, ad nominis tui gloriam, multorum salutem! Rege Magistratum nostrum inclitum, ut protectorem & nutricium sese præstet scholæ tuæ, Domine, quam manu tuâ hîc excitasti. Cives liberalitate imbue, ut amore nominis tui, & charissimorum pignorum suorum benefaciant servis tuis, in difficilimâ hâc functione constitutis: atq; ut hospitia Musis, habitare deinceps in hac urbe volentibus, liberaliter præstent. Summatim, Schola sit hoc loco, tuo Domine J E S U, regno utilis, huic inclitæ Reipublicæ honorifica, exteris & vicinis fructuosa, educationi juventutis commoda, mihi meisq; fausta & salutaris.

O voto, J E S U, annue nostro!

*Ad vos verò nunc, Viri gravissimi, Mulhusinæ Reipubl. Consules, Syndice, Seniores, Scholarchæ, & in univèrsum Senatores spectatissimi, præsentés, absentes, me convertò, & vobis gratias ago immortales, quòd de me tantam spem jam olim concepistis, meq; quamvis indignum ante quatuordecim annos ad*  
Schola

Schola vestra Recturam vocastis, vocationem verò eandem, post tantum temporis intervallum iterare etiam voluistis: Et jam modò fasces Schola vestra mihi demandastis. Accipio, Viri amplissimi, Et nunc uti debeo, meam vobis Et Schola vestra operam studiosissimã defero, Et quamdiu DEO visum fuerit, consecro. Habetis me totum, habetis studia mea indefessa. Si quid potui alibi meã operã prestare in erudiendã juventute, in provehendã republicã litterariã, bono cum DEO eadem studia eandemq; diligentiam adhibebo, eorq; allaborabo, ut fructum illorum vestra juventus Et tota Respublica persentiscat. Sed malo omninò plura de me mittere, quàm promittere. Et, ut Poëta verbis summam rei complectar,

non erimus regno indecores; nec vestra feretur  
fama levis tantiq; abolecet gratia facti.

Sed Et vobis, Viri Reverendi, Clarissimi, humanissimi, doctissimi, Ecclesiarum Superintendens & Pastores vigilantissimi, gratias, quas possum, ago Et habeo, quòd vestro favore singulari me complecti Et novam hanc Schola constitutionem tam seriò anhelare, tam sedulò urgere: atq; in me commendando, ornando, vocando, suscipiendo, tam promptos, tam faciles, tam benevolos, vos exhibere voluistis. Agnosco hinc tantò magis divinam vocationem, quantò magis vestrã, ministrorum CHRISTI Et Ecclesia, autoritate eandem intelligo stabilitam. O sit ita in-posterum, Et vester favor meis sese promptè conjungat conatibus! ita non

B

dubium

dubium est, quin DEO Optimo Maximo, quin Magi-  
stratui hujus liberae Imperialis Müllhusinae inclito, quin  
bonis omnibus & mihi quoque rem sitis facturi gratiam  
& salutarem: Vobismetipsis verò honorificam & uti-  
lem. Habebitis me, Viri Reverendi, fidelem coopera-  
rium in tabernaculo Domini excitando: qui si non in  
auro aut argento labora vero, sufficiet in lino aut lanâ  
& pilis caprarum meam ad finem istum operam & opem  
contulisse.

Sed nunc, quod res bene vertat, quando intelligo  
mibi demandatam & commendatam esse gubernatio-  
nem Scholæ hujus, brevi dissertatione, stilo tamen non  
oratorio, sed populari ostendam: Quomodo hæc ipsa  
schola bene & laudabiliter institui possit, ut & loci  
hujus celebritati respondeat & juventuti schola-  
sticæ maximè conducatur, atque ut nomen Gymnasij  
inter cæteras scholas, facilimè & ipsa mereatur.  
Quod dum facio, Vos, omnium ordinum viri spe-  
tatisimi, rogatos volo, ut me, de re maximè necessa-  
riâ & utili differentem, benevolè & attentè audiat.  
Quicquid interim hac in parte meâ pro sententiâ in-  
medium attulero, illud totum censura & judicio vestro  
submitto. Tu verò

Mitte tuos cælo radios, sanctissime JESU.  
Fac dicam, statuamque, tuo conducere ludo  
Quæ possint, teneræ multum prodesse juvætæ!

SCHOLAM, Patres MÜLLHUSINI, Vos  
talem

talem exoptare & desiderare arbitror, quàm liberi vestri  
& ceteri adventicij, quàm rectissimè educantur, quàm  
citissimè perficiantur, quàm compendiosissimè informen-  
tur, in pietate, in linguis, in artibus, in moribus; in alijs  
bonis & honestis studijs, quibus juvenus pro ingenio,  
pro captu, potest & solet imbui ac informari: atq; ut  
Schola non sit inter reliquas obscura & humilis: sed que  
ipsa viam affectet,

----- quàm se quoq; possit  
tollere humo, victrixq; virum volitare per ora.

Benè est. Si ita vultis & vovetis, Patres venerandi.  
Ego verò voluntati & votis vestris unice adstipulor, &  
me consentientem sisto: nec solum consentientem, ve-  
rùm etiam pro virili enitentem, ut ad istum scopum to-  
ta res scholastica convertatur. Atq; ut sine ulteriori  
morâ rem ipsam aggrediar, ita planè existimo, Scholam  
nostram qua istum quidem ad finem contendat, duobus  
quasi fundamentis inniti: altero, verâ & optimis ingenijs  
accomodatâ institutione; altero, prudenti & pro in-  
geniorum item diversitate moderatâ disciplinâ. Neq;  
enim illa sine hac; neq; hac sine illâ, neq; schola sine u-  
trâq; potest consistere.

Ad utramq; requiruntur multa. Sed singula equi-  
dem non attingo. Præceptores tamen fideles, qui  
hic maximè requiruntur, non omitto. Sint autem  
numero plures, eruditione & autoritate singuli

sufficientes, pietate, honestate, humanitate, assiduitate  
insignes, monitionibus Superiorum obsequentes. Qui  
si adfuerint, nisi & cetera conantes, & benè cupientes  
deficiant, Schola haut dubiè his fundamentis firma &  
immota constabit. Vos præstantissimi & eruditissimi  
viri, qui huic Scholæ jam antè præfecti fuistis, & quos  
Collegas meos mox salutabo, ut plures quidem numero  
estis, ita singulos mihi tales adfuturos spero, quales ego  
maximè desidero, & quales Scholæ hujus fama & in-  
crementum postulat. Plura vobis in præsentiarum sug-  
gererè, plura monerem, nisi de vobis spes mihi jam antè  
concepta esset, vos ultrò & sponte officium facturos, &  
tū quoad institutionem, tum quoad disciplinam Rectori  
vestro, qui & ipse fidelem sese & strenuum Ducem vobis  
præstabit, parastatas fideles exhibituros esse. Itaq; nunc,  
omissis hisce, ad primum quod constitui fundamentum,  
accessum facio, institutionem videl. veram & studiosa  
juventuti maximè accommodatam. Hec, ut rem omnem  
paucis complectar, ad pietatem primum; deindè verò  
ad humanitatem ( laxè hoc termino utor ) via est.  
Utramq; quomodo, ductu Præceptorum fidelissimorum,  
juventus discendi cupida decurrere possit, planum faci-  
am. Pietatem igitur, Scholarum omnium præcipuam  
basin, & lapidem quasi angularem esse, meritò pronun-  
cio. Quidni enim? Pietas, inquit Apostolus, ad omnia  
utilis, habens promissionem hujus & futurae vitæ. Hec,  
ut Ethici docent, non solum fundamentum est omnium  
virtutum, sed etiam actiones nostras omnes ad divini  
nominis

nominis gloriam referre docet. Non jam loquar de exercitio pietatis, quod omnibus & singulis Christianis quotidie incumbit: sed de pietatis studiis, quibus in scholâ discipuli imbuantur, ut erudite pijs, & pie eruditi evadant.

Nimirum ipsi hic sedulo in capitibus orthodoxa pietatis informandi & informati aliquo modo exerciti sunt. Informatur juvenus primo rectissime Sacrosancto Catechismo, qui est brevis & perspicua rudiorum in fundamento religionis, fidei & vita Christiana & scriptis Prophetis & Apostolicis collecta institutio: qualem aureo prorsus & incomparabili, omnibusq; mundi thesauris non comparando libello, Beatus noster Lutherus complexus est. Sufficit hac quidem institutio cuilibet, ut sit Christianus. Atqui ut idem Theologus evadat, aut certe in cognitione Christiana religionis magis proficiat, adjicienda est talis ratio, quâ singuli fidei articuli, seu Loci, ut vocant, Theologici, in thesi & antithesi enucleatius proponantur, pertractentur, diâ scriptura roborentur, aut quoad antithesin infirmantur: atq; hac omnia methodo, discipulis maxime accommodatâ, quâ per definitiones & divisiones tota illa tractatio sic instituatur, ut ante omnia analogia fidei servetur, & nihilominus intelligi possit, artes, & Logicam cum primis verbo & Sacrosanctâ Theologia ancillares operas prestitisse. Si libet attendere, Auditores, ordinem Locorum quem ipse concepi, & quo discipuli per universam Theologiam promptè sed & breviter

B 2 discurs-

discurrere possint, paucissimis exponam. Pro acquirendo enim fundamento Theologico, agendum puto, primum, de principio cognitionis Theologicae, deinde de cognitione ipsâ. Principium est Sacra scriptura: de quâ ago in genere, quoad causas & adjuncta; deinde in specie, quoad partitionem: ubi est Canonorum & Apocryphorum librorum enumeratio. Cognitione Theologica ipsa, in hoc principio unice fundata, est vel essentiae vel voluntatis D E I. Quò ad illam, considero D E U M in essentia quidem unum; in personis verò trinum. Ubi de personis singulis ago: Patre primum; deinde & Filio, ejusq; incarnatione, & quae huc pertinent; tum deniq; de Spiritu sancto. Essentiâ D E I consideratâ, transeo ad voluntatem. Hæc sese in actionibus exerit: quas ex scripturis trado universales primum; deinde & speciales. Iste sunt omnium tum creatio, tum conservatio.

Sub creatione contemplor creaturas, in universum quidem omnes; sed maximè tamen Theologicae considerationi subjectas, angelos nimirum & homines. Angelorum naturam hic, & officium specto. Hominis verò primò perfectionem, maximè in imagine D E I & libero arbitrio, quod in hoc statu, etiam in divinis, habuit, contemplor.

Deinde corruptionem intueor: ubi locum de peccato

peccato, & arbitrium in divinis servum conjungo. Atq; hinc ad locum de conservatione, seu providentia accedo, quæ subjectas sibi habet tum res omnes, tum actiones creaturarum, easq; tam naturales quàm voluntarias. Quomodo circa singulas versetur DEI providentia, ostendo.

Atq; hæc voluntas DEI, in actione generali revelata. Specialis succedit, quæ ad hominem tantum salvandum est relata. Estq; vel ab æterno, vel in tempore suscepta. Ab æterno est prædestinatio. Itaq; de eâ primo loco ago. Deinde verò ad illam progredior, quæ facta est vel fiet in tempore; aut sanè incipiet in tempore, & procedet rursus in æternitatem. Uno verbo, est prædestinationis illius executio.

Est ergò hic actio DEI vel intermedia; vel extrema. Intermedia est, quâ DEUS hominem in tempore salvandum & quidem separatim, sive seorsim spectatum preparat, tum accusando & terrendo per legem: ubi de Lege ago: tum vocando, consolando, & regendo per Evangelium: ubi de Evangelio.

Lex verò & Evangelium, quia finem suum consequuntur per penitentiam: ago hinc de penitentiâ ejusquè partibus, contritione & fide: tum de cæteris DEI, hominem salvantis operibus,



operibus, ad pænitentiam relatis. Sunt ea primùm  
justificatio hominis & justificati sanctificatio, ubi  
locum de bonis operibus subnecto. Deinde obliga-  
tio & applicatio beneficiorum per sacramenta. atq;  
hic de sacramentis ago; in genere primùm; deinde  
in specie, de sacramentis tam veteris, quàm novi te-  
stamenti. In enumeratis actionibus D E I homo sepa-  
ratim sive seorsim spectatur: Collectivè verò idem  
spectatur amplius in actione, quâ D E U S Ecclesiam  
in his terris sibi colligit. Atq; hic de Ecclesia ago: &  
mox de ejusdem privilegijs, quæ sunt libertas Chri-  
stiana & clavium potestas. Ecclesia veræ subjungo  
Ecclesiam malignantium, & hic Antichristum  
considero, tum quemlibet, tum præcipuè magnum  
illum, per excellentiam non excellentem dictum, qui qui-  
dem tyrannicum in Ecclesia Imperium tenet, & supra  
omne, quod D E U S dicitur, sese extollit. Atq; has D E I  
actiones voco intermedias: quas tandem sequetur  
Extrema, quâ D E U S hominem glorificabit per resur-  
rectionem carnis ad vitam aternam. Ago hic tum de  
eo quod in hoc tempore erit postremum, nempe de  
Judicio extremo: tum de ipsâ vitâ beatorum ater-  
nâ: & impiorum aeterno supplicio.

Hâc synopsis, Auditores, Theologicâ juventutû no-  
strâ cuperè informari, atq; ita informari, ut partitiones  
illa per partes suas aut species amplius diducerentur,  
antithesis thesi, brevissimis tamen subjiceretur, &  
singula scriptura testimonijs, dictis videl. integrè citatis  
confir-

*citatis confirmarentur: & sic memoria, omnium scientiarum thesauro, infigerentur.*

*Quia verò dulcius ex ipso fonte bibuntur aqua, conjunctam, si ita fieri posset, vellem, Analysin libri alicujus Biblici, brevem & simplicem, atq; ut cu tempore proponendam: qua quidem ipsa non sit commentarius prolixus, sed Synopsis item, qua nervum tangat, & tamen omnia eodem ordine, quo à Spiritu sancto sunt concinnata complectatur.*

*Talis esse posset, Epistolæ ad Romanos dispositio, quam generalem hoc loco, nî grave sit vobis, viri magni, eadem methodo exponam.*

*Est autem illa Epistoli Pauli ad Romanos nihil aliud, quàm Catechesis Paulina seu corpus doctrine Christiana compendiosissimum.*

*Constat ipsum, pro naturâ Epistola, Proœmio & exergasia.*

*Proœmium est capite primo: quod quidem Exordium, narrationem & propositionem completitur. Singula in ipso capite per specialem analysin suis erant demonstrada. Exergasia verò disputationem & Epilogum continet.*

*Disputatio doctrinam exhibet, qua est pro homine tum convertendo, tum converso.*

*Pro convertendo est concio primum legis: deinde & Evangelij.*

C

Concio

Concio legis illa est, quâ omnes docentur se ipsos cognoscere: Judæi primum, capite secundo: deinde gentiles cum Judæis, hoc est omnes in universum, capite tertio. Concio verò Evangelij ex professo instituta sequitur deinceps.

Atq; hic omnes docentur piè credere: & quidem tum de justificatione; tum verò etiam de prædestinatione. De justificatione primum: ubi agitur de justificationis causis; maximè verò de fide in Christum, capite quarto: Deinde de justificationis effectis, quæ sunt pax cū DEO & reparata fidelium libertas. De pace cum DEO, agitur capite quinto. Libertas verò fidelium triplex est, una à dominio peccati, de quâ capite sexto: altera à servitute legis, de quâ capite septimo: & deniq; tertio à damnatione ipsa, de quâ capite octavo.

Justificationis negotio expedito, progreditur Apostolus ad locum de prædestinatione. Ubi agit primò de objectis prædestinationis, Judæis videl. & gentibus, deinde de causis. Utraq; generalius & specialis persequitur. Generalius quidem capite nono. Specialius ita, ut primò de causis abjectionis populi Judaici tractet, capite decimo: postea verò dissentanea Electionis persequatur, & removeat obstacula, quibus hæc doctrina vel in sinistram sensum rapitur; vel in abusum detorquetur: istud à Judæis; hoc verò à gentibus. Utrumq; capite undecimo.

Hæc doctrina est pro homine convertendo.

Pro converso succedit, quâ quilibet docetur rectè vivere: idq; in genere vel specie. In genere capite duodecimo. In specie ita, ut proponantur regula pro informandâ Hierarchiâ tum politicâ, tum Ecclesiasticâ. Politicâ, capite decimo-tertio: Ecclesiasticâ, capite decimo quarto. Atq; bis õnibus absolvitur Disputatio: superest Epilogus, altera exergasias pars: ubi est exhortatio & valedictio. Exhortatio est, quâ sancti exemplo CHRISTI rectè ambulare jubentur, capite decimo-quinto. Valedictio verò tandem subjicitur, capite decimo-sexto, hoc est ultimo.

Videtis, Amplissimi Viri, quo modo juvenus post Catecheticâ Locorum Theologicorum cognitionem, introduci quoq; possit in accuratam librorum Biblicorum non lectionem modò, verum etiam intellectum, quem in Epistolâ illâ ad Romanos, verum & Theologorum explicationibus consentientem, sed & artibus nostris, quo ad modum tractandi, conformem nostra hæc *Ἀγτὸν πωρὶς* exhibet. Eadem ratio erit specialis analyseos per singula capita & versus continuanda. Quæ ratio licet difficilis alicui videatur: tamen, mea ego instrumenta si applicem, rem totam vel hisce adolescentibus facilem, bono cum D E O, sum redditurus. Et hoc quidem modo juventutem in pietate informandam existimo. Quam informationē sequatur exercitatio, adolescentibus quoq; accommodata: quâ de capitibus religionis invicem differere & disputare incipiant.

C 2

Incipians

Incipiant inquam, & in hoc ipso fideli manu-  
ductione, Præceptorum utantur. Quia enim cuius Christiano  
quovis tempore reddenda est ratio fidei suæ, cur non &  
ipsi quoque adolescentes, in primo statim ætatis flore assue-  
fiant & discant, καὶ ὅς ποτε εἶναι ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν?  
Dicetis fortasse, graviora, & quidem Academica hæc esse  
studia, triviali institutione longè majora. Sed dico  
ego, non Academicam quidem esse hanc institutionem;  
sed ad Academica studia viam sternere & hanc ipsam  
expeditiorem reddere. Non enim rudis ableganda est  
juventus ad publica ista Lycea, sed ita preparanda, ut  
instructior compareat, atque ut tempus redimere, sum-  
ptus contrahere possit. Ars longa, vita brevis est. Et  
sumptus, quanti hodiè requirantur, si quis omnia illa,  
quæ ad virum eruditum pertinent, in Academijs con-  
quirere, ex scholis parum aut nihil adferre velit? Sic  
igitur existimo, adolescentiam maturè majoribus appli-  
candam esse, & ad studia altiora ducendam, ne in hu-  
milioribus detenta, humilis ipsa, ingenti suo cū damno  
maneat. Nam reverà: Qui semper hæret in minimis,  
manet minimus. Quòd si juvenes Logicã, & ceteras  
artes docemus, & in iisdem exercemus, cur non etiã ma-  
turè aggrediamur Theologica isthæc orthodoxæ pietatis  
præcepta, atque ipsa etiam tentemus exercitia? Neque cre-  
do, tam humilis erit hæc Schola nostra in tam celebri  
Republicâ, quin & in ipsâ, exemplo aliarum, hujusmodi  
& lectiones & exercitia tractari atque institui possint.  
Ad sunt hic certè viri, omni genere doctrinæ, tum etiam  
cum-

cum primis Theologicâ eruditione conspicui, qui suum  
hac in parte, vel sponte vel sollicitati facient. Neq; enim  
ego omnibus solus sufficio, vel tantam facultatem mihi  
tribuo, ut singula possim, & singula quidem pari indu-  
striâ aut felicitate. Nam reverà

pluribus intentus minor est ad singula sensus.  
Vos igitur, Viri Reverendi, hâc in parte scholam no-  
stram attollere, & humeris vestris meam promptitudi-  
nem juvare, ut quidem potestis, ita velle vos nihil omni-  
nò dubito.

Ad orthodoxa pietatis institutionem viam dispo-  
sui. Ad humanitatis nunc me confero semitam.  
Hac magis mihi trita, eò quòd professio mea hactenus  
maximâ ex parte Philosophica fuerit.

Conjuncto autem Philologiam cū Philosophiâ.  
Et merito. Ut nautis, inquit Lipsius, solitarium Helena  
sidus non placet; non item mihi ista. Gemini illi sunt,  
qui cum apparuere, tranquillitatem nautis nunciant:  
tibi hæc duo si conjunges.

Conjuncto, sed ad linguarum & artium funda-  
menta reduco. Quæ verò ex antiquitate sunt, ad u-  
sum seu praxin refero. Linguas a. juventuti impen-  
sè & omni studio discendas existimo. Latinam cum-  
primis & Græcam; sed & fundamenta Hebrææ.  
Acquirendarum verò fundamenta erunt ars Gram-  
matica; deinde & exercitatio per analysin & genesin  
frequentata. In arte enim & usu omnia. Sed ut ad

artes veniam, & illius, Grammaticae dico, sed & reli-  
quarum omnium ideam jam olim dedi, & brevi, sed &  
pleno complexus sum systemate, Thesauri Philosophi-  
ci nomine vocato.

Nimirum hic videas, quae & doceri velim, & disci  
in scholâ: quae & ipsa crebrò ac sedulò exerceri. At non  
ordine isto, quem ibi vides, neque etiam precisè istâ for-  
mâ. Exemplum cape. Tractò ibi Logicam primo loco,  
ut artem rationis, quae oratione prior est: subjungo  
Grammaticam & Rhetoricam, artes orationis, ut quae  
ratione est posterior. At in docendo praeMITTO Gram-  
maticam, non quòd naturâ sit prior, sed ob singularem  
defectum, quod linguae, per quas sapientia excolitur, no-  
bis non sunt cognitae.

Quòd si lingua, maximè verò Latina & Graeca,  
nobis vernacula essent, studium sapientiae ab ipsâ Logicâ  
inchoari facile posset. Platonis tempore, inquit Ramus  
lib. 1. Scholar. Grammat. in initio, Grammatica nihil a-  
liud admodum fuit, quàm litteras legere & scribere.  
Quòd si idem nobis esset, sine ullo obstaculo artem Logi-  
cam initio docere & discere possemus.

Sed nequè eadem, quâ in synopsis meâ utor, for-  
mâ, necesse est artes tradere. Grammaticam in illo  
opere sector potissimum Raméam. Sed non est opus  
eandem in scholam invehere.

Servet juvenus libellos suos, quibus assuetus,  
& quibus

Et quibus ipsa haecenus scopum suum potuit contingere. De Logicâ verò Et Rhetoricâ paulò aliter sentio, Et inclino (libens fateor) ad institutionem Rameam; sed tamen ita, ut conjungantur autores alij Et ipsi adeò Peripatetici. Cur autem Rameam docendi rationem praferam, causa est, quòd ea prima etati maxime sit accommodata, Et compendiosissima ad pleniorè institutionem via. Consentit mecum celeberrimus ille Julius Pacius, qui in praefatione operum Logicorum Jacobi Zabarella inter alia sic scribit:

Re ipsa sum expertus, quibus Aristotelis organon non est accommodatum (multis enim ob varias causas illius libri lectio est inutilis) ijs non posse utiliore proponi, quàm Rami Dialecticam, quæ est Logicarum praceptionum haec contemnenda Epitome. Hac ille. Valdè miror Zabarella, Peripatetici omnium accerrimi libris haec talia fuisse praeposita. Sed nempe vincit ubique veritas.

Verissimum enim est, Et experièntiâ multâ comprobatum, nullos dari meliores methodicos Et analyticos, quàm qui hoc modo sunt informati. Interim necessarium judico, ut propter terminorum eruditorum cognitionem, Et usum disputationum Philosophicarum aliorum Logicorum placita conferantur, Et usus Logicus planior Et perfectior demonstretur. Quâ in re, dante DEO, meam juventuti operam promptam paratamq; offero.

Rheto-



Rhetoricam quoque Talai habendam & retinendam pu-  
to. Scio quid hic alij judicent, omiffa in hac, qua ad  
Rhetoricam pertineant, inventionem, dispositionem,  
memoriam: atqui etiam partem elocutionis figuras  
nempe amplificationum. Sed partes illas Oratoria  
quidem; non autem Rhetorica sibi vendicat. Est au-  
tem Oratoria praxeos quadam species, qua artes plu-  
res, praeceptis distincta, usu ipso conjunguntur.  
Rhetorica vero ars est per se & ab alijs distincta, qua  
ad ornatum proprie atque unice spectat. Invenit ergo,  
& disponit Orator: verum non qua Rhetor; sed qua  
Logicus. Memoriam utitur Orator, sed partim naturali;  
partim artificiali, qua ipsa Logica potissimum regitur  
& confirmatur methodo. Elocutione vero & pronun-  
ciatione idem utitur Orator; sed his demum qua Rhe-  
tor est, propterea quod artis Rhetoricae proprie sic dictae  
partes sint. Amplificationum figuras quod attinet, sa-  
tis vel ex Melanchthonis Rhetoricae constat, eas ex Dia-  
lectica fluere & argumenta esse, confirmandi aut confu-  
tandi causa adhibita.

Ceterum cum artibus proprie dictis Grammati-  
ca, Rhetorica, Dialectica in schola nostra deinceps  
proponendis, praxeos illius species, sed & modos, ana-  
lysin & genesis, ΣΤΝ ΘΕΝ, fideliter jungemus.  
Species autem seu genera praxeos artes vel ad ser-  
mocinandum vel ad disputandum transferunt.

Ad sermocinandum transferunt Oratoria &  
Poetica. Oratoria praecepta, vel potius observatio-  
nes

nes practicas repetemus, quò ad inventionem, dispositio-  
nem, elocutionem, memoriam & pronunciationem ex  
Tabulis nostris. Et in analysi quidem, hoc est optimo-  
rum auctorum, maximè verò Ciceronis lectione & re-  
solutione uberius idem artificium demonstrabimus:  
quod & in genesi, vel imitationis vel liberæ com-  
positionis, strenuè ac sedulò exercebimus.

Inde verò discipulos nostros per modum istum ritè  
informatos & preparatos, in publicum educemus, inq̃  
conspectu vestro, Viri magni, dicere jubebimus. Idem  
erit institutum in re Poëtica. Nam & illud artifi-  
cium Tabula nostra breviter ostendent. Quod & ex-  
ercitatio excipiet: in analysi primùm optimorum  
Poëtarum, maximè verò Virgilij & Horatij. Imitatio  
deinde in genesi sequetur, & parodiarum studium,  
quod & ipsum imitationis Poëticae quandam speciem  
constituit. Sic actionis Poëticae species quadam est  
Comica actio, cujus usum in informandis adolescen-  
tum moribus insignem esse, tam certum est, quàm quod  
certissimum. Sed ò tempora nobis tranquilla reddat  
Omnipotens Pater, ut & hujusmodi exercitium auspi-  
cari aliquando & tentare possimus! Vita aliàs nostra  
hodiè per se est, Tragœdia dicam an Comœdia? & nihil  
est fermè, quod delectet, quodq̃ afficiat. jacemus. Su-  
perest in praxi Disputatio, exercitium sanè per quàm  
utile & necessarium. Artificium ipsum systema no-  
strum breviter & compendiosè exhibet. Exercitium  
verò nostra quoq̃ schola utile & necessarium judico.

D

Multi-

Multiplex & varium id mihi fuit, cum Pædagogiar-  
cham Gottingæ agerem, de quâvis materiâ, Logicâ,  
Grammaticâ, Rhetoricâ: de rebus Metaphysicis, Phy-  
sicis, Mathematicis, Ethicis, Politicis, Oeconomicis, Hi-  
storicis. O adsit modò commoditas, & detur facultas  
pergendi, & optima efflorescentiaq; ingenia maturè du-  
cendi ad illa.

*Edita doctrina sapientum templa serena!*

Qua si prorsus contingere per ætatem non poterunt:  
sufficiat anbelasse & omni studio eò contendisse. Cona-  
tum hunc certissimè sequetur felicitas, in proficiendo, in  
emergendo. Experientiam, ac fortè in me ipso, testem  
vocare possem; sed non est opus; sed nec apud vos, Viri  
magni, qui ista omnia & scitis, & ipsi per vos intelli-  
gitis.

His ergo sic constitutis, & ut juventus de rebus i-  
psis differere orando & disputando possit, specialibus  
quoq; artibus, hoc est, ut cum Peripateticis loquar, Phi-  
losophia ipsâ opus erit. Unâ igitur & hâc imbuenda.  
Possem hîc pleno discursu ire per singulas disciplinas, &  
modum ostendere, quo ipso antebac usus sum. Sed  
tempori parco, & vestra, Auditores, patientia.

Planè a. necessarium judico, ut in Theoreticâ  
primùm; deinde & Practicâ Philosophiâ adolescentes  
informentur.

Philosophia itaque Theoretica, quæ nobis ars  
nature

*natura & Physiologia vocatur, vel substantias & qualitates docet; vel quantitatum rationem ostendit. Illas Metaphysica & Physica; hanc verò Mathesis.*

*Metaphysica, quamquam, propter simplicem rerum contemplationem, proveciori aetati magis convenit: non tamen ideò prorsus est occultanda optimis adolescentum ingenijs. Poterunt enim & hinc maturè cognoscere, genera rerum communissima, terminos eruditos & distinctionum modos, perfectò disputatori non utiles modò, sed & summè necessarios.*

*Physicam verò initio proponi, magnopere & utile & necessarium judico, ut juventus rerum naturalium causas & corporum naturas; maxime verò corporis humani structuram, ejusdemq; formam, animam videl. maturè cognoscere & admirari discat.*

*Cognitis verò substantijs & qualitibus, quantitatum rationem Mathesis suggeret, qua quòd prima aetati cum primis conveniret, atque olim tradita fuisset, eo ipso καὶ ἕξοχῆν μαθητικὴν quasi discentia dicta fuit.*

*Hac Philosophorum distinctione pura est vel mixta. Pura est, qua quantitatem, magis, ut loquuntur, abstractivè considerat, ut Arithmetica & Geometria. Illa discretam, hac continuam quantitatem estimat. Illa ob numerorum notitiam, quam suggerit, omni vitæ summè necessaria: ideoq; maxime docenda & discenda, etiam pueris.*

D 3

Hac

Hec verò etiam addenda, ut adolescentes non solum in magnitudine cognoscenda, sed & artificiosè mensuranda informantur. Et quidni etiam in Scholis hisce? Facilis est, nec valdè suprà captum adolescentum. Quòd si adolescens aliquis ex scholâ, unà cum lectione & scriptione nihil præter Arithmetica & Geometria cognitionem reportet, nunquid ipsum sat didicisse & ad alia atq; alia vite genera applicari posse judicabimus? Atqui eò usq; vel in tenerâ atate in què triviali ludo perduci poterat, & meo quidem iudicio, debebat. Operam meam hac quoq; in parte discipulis promptissimam offero.

De mixtâ Mathesi nunc dicendum. Ea vel objectum sensibile, vel Symmetriam totius structuræ exponit. Illa Musicam & Opticam; hæc verò Astronomiam & Geographiam continet.

MUSICAM, ut huic Scholæ commendem, nihil opus est. Estis vos Mülhusini penè omnes Musici, & qui non est Musicus, vestro nî fallor proverbio, Mülhusinus non est. Hinc & Scholæ magistri ad unum penè omnes vulgò Cantores vocantur. Certè magnum est nomen Cantoris & Musici, quod nec magnus ille David, Rex & Propheta, neq; Assaphus ille detrectarunt. Hanc verò artem seriò mecum promotum ibunt, qui in hæc scholâ eandem vel docendo vel exercendo tractant. Atquè utinam in Musica quoq; Poëtica, vel saltem accuratiore modorum Musicorum explicatione juventus nostra de-  
inceps

*inceps informetur! Quod vos, viri excellentes, quibus  
professio ea committetur, aut jam commissa est, omni  
ratione promotam ibitis.*

*Opticâ si qua informatione opus erit, nihil in hoc  
sedula juventuti denegabimus. At majori fortassis stu-  
dio in Astronomicam & Geographicam scientiam  
introducemus. Utraq; certè vel propter usum illum,  
quem in lectione autorum classicorum, Poëtarum & Hi-  
storicorum præstat, summè est necessaria. Taceo re-  
liquos usus, quos per se utraq; habet insignes. Ostende-  
mus autem, cum Jcw, alumnis nostris constitutionem &  
usum Sphære non solum in instrumentis, Sphæris & Glo-  
bis, ut vocant, materialibus, sed in ipso cælo astra, & a-  
lia quæ in sensum occurrunt, & demonstrari possunt.  
Quod Geographicum studium attinet, optârim Tabu-  
lam aliquam Geographicam, quæ totius orbis ideam re-  
præsentet, à Magnifico Senatu nobis ex publico compa-  
rari, & hic in scholâ ad parietem suspendi, ut discenti-  
bus loca, quorum in lectione bonorum auctorum mentio  
fiet, demonstrari, sed & semper in conspectu esse possint.  
Nam locorum circumstantiâ cognitâ, omnia & melius  
& distinctius cognoscuntur, quæ aliâs non nisi confuse,  
sepè ab ipsis docentibus, tum verò cum primis à discenti-  
bus percipiuntur.*

*Atq; hæc Philosophia Theoretica est, quam dein-  
de excipiet Practica, nobis ars morum & Philosophia  
moralis dicta. Communis ea est vel propria: illa*

omnem hominem informat, ut bonus evadat, & Ethica vocatur: hac vel bonum civem efficit, Politica dicta, vel bonum patrem familias, Oeconomica. Hac pars Philosophiae utrum juvenibus proponenda nec ne? olim dubitatum fuit. Et sanè negare visus est ipse Aristoteles lib. 1. ad Nicomachum cap. 1. Quid autem dicemus? Non ea, credo, mens fuit Aristoteli, bonis moribus non esse imbuendum juvenem. Qua haec, malum, foret absurditas? Peccasset ipse, qui filio Nicomacho Ethicam inscripisset: Peccasset Cicero, mentis & doctrina Aristotelica non ignarus, qui filio Marco tres illos de officijs libros inscripisset: Peccaremus ipsi hodiè, qui praecepta civilitatis morum tenera etati instillamus & seriò ac severè inculcamus, eandemq; ad honestatem, quacunque possumus, ratione, ducimus.

Verum enimverò missos cum Aristotele faciamus illos juvenes, qui nullà disciplinà coherceri possunt, & propter affectuum intemperiem prorsus sunt incurabiles. Interim nostros, quos natura bonitas & parentum cura nobis curabiles & emendabiles obtulit & commisit, adeoq; scholastica disciplina subjecit, sedulo ac studiosè ad bonam mentem ducamus, ad honestam vitam rationem provocemus, bonis moribus, quos Ethica suggerit, imbuamus: atq; ut ipsi in Republicà, & vità Oeconomicà plantaria sint & reperiantur viva, & maturè progerminantia, neq; terra & alimenti sui prorsus ignora, maturè efficiamus. Nam omninò

à teneris

--- à teneris adsuescere multum est.

Et

Quò semel est imbuta recens servabit odorem  
testa diu.

Dicat aliquis: Tu multa simul. Et quando omnia  
ages? Respondeo. Multa hic simul dico. Sed non o-  
mnia simul ago. Successio, qua in motu principium est,  
in continuà institutione quoque locum obtineat. Docenda  
igitur nunc haec, nunc illa, pro ratione temporis, pro au-  
ditorum praesentiâ et captu. Non autem illa omnia  
nunc primum agam: sed singula jam egi. Quin o-  
mnia et singula complexus sum, Thesaurò illo Philoso-  
phico, qui et ipse publicè prostat, et cujus copia cuilibet  
apud me poterit fieri. Ex hoc illa omnia quae dixi, legere,  
cognoscere, videre ac pervidere discipuli poterunt.  
Ego verò me ipsis ducem ac praevium in singulis offero.  
Quaequè publicè non licet, privatim DEO volente, per-  
ficiam.

Hàc ergò ratione et modo in pietate, in linguis, in  
artibus, in moribus juventutem vestram, Patres Müll-  
husini, atque exteros etiam, quos vestris sese frequenter  
aggregaturos, modò ad hanc faciem schola constituatur,  
spero, informandos et concinnandos esse arbitror. Opta-  
rim autem institutioni huic, quam delineavi, reliqua-  
rum etiam Facultatum initia mihi conjungenda esse,  
ita ut Gymnasij nomen nostra huic schola plenè ac per  
totum competeret.

Nibil



*Nibil equidem in votis haberem magis. Quid-  
ni etiam tantum hic fieri possit, quantum potest aut po-  
tuit fieri alibi? Circumspiciamus loca vicina, & qua  
schola nunc nomen Gymnasij non usurpat? Sunt certè  
in hac inclitâ Republicâ non modò Theologi, sed & Jure-  
consulti & Medici, qui suam scholæ operam locare, &  
cum laude, cum fructu hic si nihil aliud, saltem Faculta-  
tis suæ exercendæ occasionem arripere possent, fortè  
etiam cuperent.*

*Ego verò nec de voluntate, nec de liberalitate opti-  
mi nostri Magistratus dubito. Atqui non est meum  
prescribere. Intereâ expecto & seriò anbelo scholæ  
hujus non modò redintegrationem, sed & perfectionem,  
auctiorem & apud externos famam.*

*Quicquid sit, ego, DEO me bene juvante, permissu  
& pace vestrà, Viri Amplissimi, hanc quam modò o-  
stendi viam, cum juventute nostra ingredi cupio.*

*Antequam verò ingrediar, si ita visum fuerit,  
ordinem lectionum, atquè exercitationum consi-  
gnabo, & ut alijs alibi innotescat, publicis typis com-  
mittam.*

*Absolvi de institutione. De disciplina, quam  
alterum scholæ fundamentum initiò constituebam, pau-  
ca mihi adhuc videntur dicenda. Summè quidem  
hæc necessaria scholæ, sed summâ etiam prudentiâ ad-  
ministranda.*

*Reperiun-*

Reperiuntur Praeceptores, quibus obsonium est, etiam ob levisimum peccatiolum in pueros simul & adultos invebi minis, debacchari flagris, deservire scuticis. Quorum quidem ad facies cadaverosas & minaces, misellos non secus trepidare videas, quam si Medusae caput intueantur, aut Empusam quandam ex inferis prodeuntem conspiciant. Ex quo saepe fit, ut praecleara alioquin ingenia & spei sane maxima in ipso flore, tanquam turbine aliquo, aut subita tempestate percellantur ac pervertantur, ut ex ingenuis serviles, ex altis bumiles, ex erectis abjectissimi efficiantur.

Ego vero rigorem istum minime probo. Malo enim meos ducere, quam trahere.

Et sane nihil est quod aequè Praeceptorem deceat, quam suo loco indulta clementia; nihil quod tam dedecet, quam praeceps in iram effusio.

Quanquam autem non sum nescius, disciplinam ipsam, atque istam quandoque severiorem, in hac publicam morum & ingeniorum pravitate & corruptione, tam esse necessariam, quam institutionem ipsam: hoc tamen admittendum non est, ut nimia sit, ut noxia sit, ut discipulus Scholam praeteriens cum Plautino illo dicat:

Ædes lamentariae mihi sunt, quas quotiescunque conspicio, fleo. Summatim,

Errat longissime, qui, quod Comicus inquit, imperium credit gravius esse aut stabilius,

E

vi quod

vi quod sit, quàm illud, quod amicitia adjungitur.  
Hoc enim patrium est, potius consuescere filium,  
suâ sponte rectè facere, quàm alieno metu.

Hoc ergo in scholâ etiam fiat. Et mediocritas  
servetur, quæ in omnibus rebus est optima.

Imò hoc deinceps in inferioribus maximè fieri ve-  
lim Classibus, ut adolescentes ad mutuas concerta-  
tiones sese invicem provocent, adeoq; de loco certent,  
lectiones tum recitando, tum repetendo. Certent etiam  
ipsis exercitijs. Sic enim minorem operam disciplina  
impendet Præceptor: atquè ipsi discipuli alacriores,  
vincendi nempe studio excitati, ad lectiones & exerci-  
tia accedent.

Imò sæpè vidi, ingenium liberale plus indoluisse ob-  
locum amissum, quàm si plagis nimium fuisset affe-  
ctum: quin plagis istis sæpè ab honestis conatibus abs-  
tractum fuisse haut obscure animadvertere licuit.

Alia verò res fuerit, si quidam mali, si pertinaces,  
si illiberales & ignavi reperiantur, qui nequè lenitate  
ullâ, neq; humanitate moveantur. Hic enim malo no-  
do malus cuneus omninò est querendus.

Neq; vos, adolescentes, illa qua dixi, ed pertrabetis,  
quasi Mitionis personam in hoc teatro semper actam  
velimus. Scitote enim, nisi officium vestrum fecerit-  
is, pœnas etiam dignas ignavia & cæteris delictis de-  
cretum iri.

Interim

Interim hoc unicè studete, atq; in id sedulò incum-  
bite, ut amore filiali Praeceptores, velut parentes alte-  
ros prosequamini, revereamini, & cetera pietatis ac di-  
ligentia officia faciatis, & tales vos geratis, quales pie-  
tas & honestas vos esse jusserit: ne negligentia aut petu-  
lantiâ vestrâ iram & maledictionem DEI in vos con-  
citetis; Praeceptoribus verò faciendum sit id, quod Me-  
dicus solet, qui ad urendum & secandum, quanquam in-  
vitus aliquando accedit.

Ad portum me reciperem, Auditores, nisi ipse cu-  
perem & scrupulum eximere vobis, si quis fortè vestrûm  
alicui, ex propositi mei enarratione, incidisset. For-  
tasse dicetis, istam Scholâ seu Gymnasij  $\sigma\upsilon\alpha\gamma\epsilon\alpha$   $\Delta\iota\alpha\upsilon$   
non esse universalem, neq; ad totum pertinere corpus:  
siquidem ad classes solummodò superiores videatur di-  
recta. Sed habeo, quod reponam. Verum est. ad  
superiores potissimum classes respexi: idq; propterea  
quòd Supremi in hac scholâ Lectoris & Rectoris mihi  
commissum sit officium. Huic igitur, si me accom-  
modo, in nullius, credo, reprehensionem, jure incidam.  
Neq; tamen est, quòd quis existimet, nihil hic esse pro in-  
ferioribus. Est omninò multum & ferè precipuum.  
Nam quòd pietatem attinet, Catecheticam commenda-  
vi simplicitatem. Quòd humanitatem, Grammati-  
cam, & sic elementa pueris litterarum, syllabarum;  
quin & reliqua Etymologia & Syntaxeos rudimenta  
prescripsi.

Quod usum attinet, analysin commendavi & genesin: utramq; Preceptoribus instituendam, discipulis exercendam. Summatim pietatis, artium & morum rationem preposui, pro etate, pro ingenio, pro captu discipulorum instituendam. Neq; suspicari quenuquam velim, me ipsum non habiturum esse rationem ingeniorum aut captus discipulorum. Statuo omnino à quolibet Preceptore requiri, ut ad discipulorum captum semper sese accomodet. Huic igitur & me ipsum libens attempero, sed tamen, ne ad humilia prorsus abjiciar eaq; à me requirantur, quibus adsuetus non sum, & ad quae ipsa haecenus non sum vocatus. Sciunt, qui me audiverunt, in optimorum auctorum lectione nihil me praeterire solitum, quod vel ad ipsius etiam Grammaticae rationem pertineret, nisi fortè communissimū & auditoribus notissimum visum fuisset. Itaq; deinceps morem meum servabo, & operam dabo, ut institutionis meae fructum, tam minores quàm adultiores percipiant.

+ Sed forte & hoc alicui incidit: non esse jam tantam frequentiam discipulorum, ut hanc tam operosam scholae constitutione & innovatione opus sit. Video equidem numerum, & sanè in his Superioribus classibus non ita magnum. Video, inquam, nec valdè miror, si & tempora & publica impedimenta compono. Quid si tamen in numero isto inveniantur, apud quos haec ratio plurimum possit? Non jam dubito de eo, sed scio, sic omnino esse. Atqui si vel unicus saltem hoc tempore,  
totius

totius patriæ commodo, rectè informetur, qui quidem ipse vel hæc, vel majora patriæ causâ possit præstare, an labor in unico illo frustraneus censeatur? Puto laborem in illum unicum, isto quidem successu & eventu collatum, eundem vel potius majorem esse, quàm si in plures, successu fortassis non ita felici, incidisset. Certò tamen id mihi persuadeo, & ausim spondere apud vos, Patres Mülbursini, si Scholæ vestræ status ad hanc faciem, hoc est, meliorem perducatur, fore, ut eam deinceps frequentissimam habeatis, & ut illi, quibus vestros olim non sine sumptu concinnandos frequenter misistis, ipsi suos vicissim vobis inq; scholâ vestrâ concinnandos & erudiendos submittant & committant. Et quemadmodum ab eo tempore, quo Oldenburgo discessi, Oldenburgenses Göttingæ semper habui: ita non dubito, quin Göttingenses meos hic Mülbursij frequentes sim habiturus, vestra Scholæ famâ & existimatione non minimâ. Sed totum hoc post DEUM in vestrâ, Viri, omnium ordinum Spectatissimi, situm est provisione, promotione, curâ, subsidio, auxilio.

Quin oro & obsecro Amplissimum libera hujus Imperialis Senatuum, ut Scholæ huic, quam DOMINUS edificare hic amplius vult, & mihi Rectori illius, pro suâ in DEUM pietate, & paternâ in Rempublicam & omnes bonos affectione, in posterum faveat, meq; qui salutem & incrementum Scholæ hujus unice specto, unâ cum cæteris collaboratoribus honestè alere & liberaliter sustentare non dedignetur.

E 3

Sed

*Sed desino. Unicum addo: placeat inclito Senatui, & quibus hoc cumprimis incumbit, Dominis Scholarchis, ut classes hujus scholæ, majoris cum in docendo, tum in discendo commoditatis gratiâ, melius discriminentur, & ut prima hæc classis novâ & duplici quidem Cathedrâ, pro illis, quæ promisi exercitijs, exornetur. Cujus quidem mei postulati rationes jam dixi, & si opus, pluribus adhuc exponam. Cætera disponat & ordinet DEUS ter Opt. ter Max. quem ut in principio dissertationis meæ, ita nunc in fine, quem feliciter attingi, ardentibus votis meritò appello.*

Tu itaque Fili æternæ æterni Patris, JESU CHRISTE, infunde ab alto Sapientiæ tuæ radium, & mentem meam illustra, ut cum honore tuo hunc docentium ac discantium cætum ego regere, Præceptores cæteri mecum cum fructu docere, & juvenus à nobis utilia doceri possit. Fac, DEUS, qui boni ordinis auctor es, ut omnia ordine & decenter in hac scholâ deinceps & suscipiantur & peragantur: fac ut cum salutari pietatis, linguarum & liberalium artium doctrinâ, honesta vitæ & morum disciplina locum inveniat, & inventum servet. Fac inter docentes amica concordia, & concors amor: pia sedulitas & sedula pietas dominetur: discentes obedientiam cum reverentia conjunctam Præceptoribus in Scholâ, parentibus, hospitibus & amicis domi exhibeant, & hîc atque illic, imò ubiq; pietatis, hone-

honestatis & sedulitatis officia præstent. Denique Tu qui Pacis autor es, Tu, inquam mitissime generis nostri Servator, nobis & communi Patriæ Germaniæ, pacem redde, & Ecclesiæ tuæ in his terris afflictæ halcyonia clementer concede.


Tu noster sis nosq; tui. Si scindimur, actum est. Nemo hominū in terris, in cœlis nemo deorū est, Qui sine Te nobis velit aut queat esse saluti.

**D I X I!**

**T I B I D O M I N E J E S U  
H O N O R E T G L O R I A  
S E C U L I S I N F I N I T I S!  
A M E N!**







**Et** **dominus** **procepit** **eis**  
**omniam** **via** **et** **dominus** **procepit** **eis**

**ne** **discederent** **sed** **expectarent** **promissam** **omnem** **pa-**

**ram** **pulchritudinem** **domini** **exaltata** **est** **in** **terris**

**et** **in** **montibus** **et** **in** **omnibus** **et** **in** **omnibus** **et** **in** **omnibus**



ΣΤ Ν

DISSE  
INAUG

DE CONS  
GYM

IN INCLITA & LIB  
M U L H

Mente

*Sub ipso ad RECTU*

Prop

*Et Magnifici Pruden*

Judic

Sub

M. GEORG. AND  
POETA L.


*Prid. Non. Septembr*

Nunc v. Prædicti S E

& sumptu i

---

MULHUSII Lit



10

